reddit: reddit calidum, & pro patientis qualitatis conditione vel ſiccum vel humidum. Accedit auctarium caloris maius, ardens vinum, cuius ope extractiones ſuas moliuntur Chymici? His perpenſis, ea remedia, qualitatis primæ calide, & ſecundæ cuiuſuis alterius exceſſu, periculoſa ſunt: vt ijs relictis tutior ſit antiquorũ vſus futurus. At nos cum Homerico Agamemnone, ἴσχεθ' ἀργεῖοι, μὴ βάλλετε κοῦροι ἀχαιῶν. Sunt quidem nõnulla calidiora, & exceſſu qualitatum validiora: non minus tamen cautè in vſum adhibentur, quàm alia communium remediorum, quæ eiuſdem ſunt efficaciæ, & præparationis. Ergo cum Galeno & Ariſtotele fatemur, combuſtorum omnium nullum planè eſſe frigidum, quandoquidem inhæret illis ἐμπύρευμα. Id tamen haud difficulter aqua abluitur: vt cum eodem affirmemus Galeno, eos, qui combuſta omnia, vel frigidiora vel calidiora reddi contendunt, in errore eſſe. Quædam enim calidiora redduntur, quæ acria non ſunt: quæ verò acria, frigidiora. Ita quæ vritur chalcitis, minus fit acris,

Homerus 3. Iliad.

An calidiora ſint quàm conueniat?

Initio noni de facul. ſimpl. 2. de part. anim. 2.

Combuſta qualia.

Cap. de Chalcitide.